ORATIO

PRAESTANTISSIMI JURISCONSULTI

DOMINI

MATTHAEI BISSARII

IN NUPTIIS

SPECTABILIS DOMINI

JOANNIS DE THIENIS

IN FLORENTISSIMA CIVITATE

PADUAE

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1845

AL NOBILE SIGNOR CONTE

ERCOLE DI THIENE

NELL'AUSPICATO CONNUBIO

DELL'UNICO SUO AMATISSIMO

GIANJACOPO

COLLA NOBILE DONZELLA

CONTESSA GABRIELA BISSARI

QUESTA TENUE OFFERTA INTITOLA E CONSACRA

L'ABATE

PAOLO DOTT. SMIDERLE

Nobile signor Conte

Io non seppi come meglio manifestarvi i sentimenti di compiacenza e di giubilo, ond'io, non ultimo fra quelli che vi stimano e vi onorano, vado in questa occasione compreso, quanto col farvi un presente di cosa non mia (che ben sarebbe da poco), ma che giustamente si può dir tutta vostra. È questa un'Orazione inedita scritta nella lingua di quel gran popolo un dì signore del mondo, la quale per ciò stesso sentendo della nobiltà e della grandezza di chi la parlava, si tenne sempre (almeno in altre stagioni, se non di tanto progresso, certo di più senno) che fra tutte le lingue fosse la più acconcia e degna ad elevati e nobili subbietti.

A Voi, che coltissimo siete, anche per ciò solo disaggradevole riuscir non dovrebbe; ma c'è ben altro, che più da vicino vi appartiene. Essa è lavoro di tale, dal cui nobilissimo sangue discende quella gentilissima Donzella, che da questo giorno comincia a formare

tanta parte della vostra famiglia, e la felicità dell'amatissimo vostro Giangiacomo, innestando così nella vostra la gloria degli Avi suoi, fra i quali moltissimi fu preclarissimo lume quel Matteo Bissari, che in ogni disciplina erudito ottenne singolar fama di eloquentissimo uomo, ed è l'autore dell'Orazione che vi presento. Che se quanto si riferisce alla prosapia illustre de' Bissari non può omai da Voi esser veduto con occhio d'indifferenza, tengo per fermo che anche per questo verso debba gradirvi questa mia tenue offerta.

Ma c'è di più. Quel valentissimo uomo dispiegò tutto l'ingegno e l'arte sua a commendare a cielo con essa la famiglia vostra, le virtù magnanime e lo splendore esaltandone in quel dì, che quel Giovanni Thiene, uno degli Avi vostri, menava a moglie la nobilissima Giovanna degli Obizzi; nè credea quel sapiente meglio corrispondere all'altezza del soggetto, che, abbandonando il vulgare eloquio, in che era peritissimo, usare in quella vece la lingua dominatrice un tempo di tutte le nazioni incivilite. Vedete dunque se a buon diritto vi dissi che cosa vostra si è quella che vi vengo offerendo, e che di certo non vi tornerà discara, avvegnachè scritta nella lingua del Lazio.

Oh! se a Lui fosse dato oggi rivedere questa luce, e trovarsi presente a questo nodo che tanto da vicino lo tocca, forse la modestia lo riterrebbe dall'encomiare nella Pronipote sua i tratti avvenenti, la fiorita edu-

cazione, i rari pregi dell'animo, e quella giocondità che le brilla in volto, vero indizio della purezza di cuore; ma egli è ben sicuro, che con quella sua grandiloquenza tesser vorrebbe un elogio ben degno alla bontà, alla cortesia, alla gentilezza ed alle altre doti onde va fregiato questo vostro unico Figlio, e lo inciterebbe a segnar l'orme di quei vostri gloriosi Avi onore della patria e della famiglia vostra.

Neminem ferme vestrum existimare velim, magnifici praesides, amplissimi patres ceterique viri ornatissimi, me vel doctrinae, vel eloquentiae copia fretum, aut popularis aurae captum illecebris, hoc loco in tam frequentissimorum doctissimorumque hominum conventum mea sponte descendisse, meque tam anceps impudentiae temeritatisque voluisse subire discrimen. Quippe qui noveram tenues animi mei vires, nullamque mihi in dicendo facultatem ab ipsa natura, vel arte, seu exercitatione comparatam, praeter quaedam forsitan fragmenta litterarum, quae rudi ingenio inter legendum inhaeserant. Cum igitur ad earum rerum, de quibus dicturus eram, magnitudinem ac dignitatem oculos dirigerem, cumque gravissimum lumen optimumque conspectum vestrum intuerer; vere mihi timendum fuit, ne tantarum rerum excellentiam eruditissimasque aures vestras ferina et agresti oratione pertunderem. Ipsi praeterea hujus urbis parietes, intra quos omnium doctrinarum fontes scaturire et manare videmus, omniumque bonarum artium gymnasia personare, me ab hujusmodi officio deterrebant. Quis est enim tanta ingenii nobilitate praeditus, tantoque inun-

dantis eloquentiae flumine, quem non opprimeret arduum et grave pondus rerum maximarum? Quis est tam constantis intrepidique animi, qui gravissimum et sapientissimum tot eruditissimorum hominum judicium non reformidaret? Quis est tam audax et inverecundus, cui majestas urbis omnium litterarum nutricis pudorem non ingereret? Haec itaque mecum ipse reputans, potius statueram in jam coepto silentio permanere, quam pro tanta rerum dignitate proque amplissima vestra auctoritate imparem orationem habere. Ceterum ab ista sententia, cui rationes validissimae nimirum inhaerere faciebant, potentissima vis amoris abstraxit. Tanta enim amicitia tantoque arctissimo benevolentiae ac necessitudinis vinculo insigni Sponso conjunctissimus sum, ut neque illius auctoritati in jubendo, neque fidei in petendo, neque perseverationi in extorquendo negare ausus sim quod implere non possim. Ipse hanc sarcinam haud aequam humeris meis, mihi diu reluctanti, suis manibus imposuit; ipse meliori de me concepta spe, quam excogitari queat, grande hoc munus ut prorsus obirem, imperavit. Cum igitur, amplissimi patres, ea sit apud vos ratio, quae invitum animum ad dicendum traxit, spero vos benigne me ac patienter audituros; et si, quod maxime futurum vereor, magnificae nuptiarum celebritati vestroque gravissimo judicio squalida, rudis atque incompta oratio videbitur, eo profecto clementiores esse debetis ad impertiendam veniam, quo majus esse intelli-

gitis, et me istud dicendi officium, nulla doctrinae fiducia, nulla laudis ambitione, sed potius amici benevolentia et propinqui obsequio suscepisse. Neque enim ex rerum, de quibus dicendum est, magnitudine, aut ex vestra dignitate, sed ex ea fide atque viribus existimandus sum.

Solent, qui in hoc dicendi genere versantur, ab ipsis sacri conjugii laudibus exordiri, deque illius necessitate, institutione, dignitate et utilitate multa dicere, et quasi quoddam in ipsa orationis fronte praecinunt Epithalamium: mihi autem videtur hunc locum satis consulto praetermitti, cum quia res ipsa satis trita est et saepe plurimum laudata, tum quia quantum honoris et reverentiae maritali copulae semper tributum sit, omnium gentium mores ac litterae loquuntur, omnium philosophorum exempla probant; tanta praeterea se se offert copia dicendi de nobilitate ac virtute nostrorum Jugalium, de generoso utriusque familiae sanguine, de maxima praestantia rerumque gestarum gloria, ut ad ea commemoranda, nedum exornanda, singula quaeque praeclarissima succumberent ac sudarent ingenia, tempusque magis, quam materia deficeret. Quis enim strenuissimam Obizzorum familiam digno eloquio in medium proferre possit, numerare milites, dicere pugnas, efferre duces, describere praelia, ut per tantae nobilitatis gradus procedentem Sponsam nostram suorum laudibus illustraret? Quod si hujus clarissimae familiae priscam originem recensere voluerimus, Lucana civitas

inter ceteras Hetruriae urbes antiqua quidem, opulentissima, nunquam se absque Obizzorum gente fuisse fatebitur; si potentiam quaerimus, usque adeo viris, opibus civiumque benevolentia floruit, ut Lucas Obizzus magnanimus miles ejus urbis imperium atque principatum sua virtute et civium consensu obtinuerit. Quot vero fortissimos milites, quot clarissimos imperatores, quot sapientissimos homines togae ac pacis artibus excellentes haec familia ediderit, testis est opulentissima Florentinorum respublica; testis est sacrosancta Romana Ecclesia; testes sunt omnes Italiae provinciae, regna, civitates, quae si commemorari deberent, alia eloquentia foret opus, nec tam esset orationem, quam egregium historiae volumen cudere.

Nobis igitur per plurima et magnifica hujus familiae gesta, veluti per amoenissima quaedam virtutum prata currentibus, satis erit e multis variisque floribus pulchriores quaerere redolentesque magis colligere, ex hisque contexere atque concinnare coronam, quam Sponsae nostrae nuptiarum munusculum offeramus. Atque in primis excellentissima Florentinorum respublica, quae Aretinae urbi imperat, nonne tamen huic familiae beneficium debet? Nam cum ex senatus consulto decretum esset urbem illam expugnare, Almanus Obizzus, vir bellicis artibus peritissimus, Florentini exercitus imperator declaratus est; qui ad urbem Aretinorum exercitum admovit, eamque armis fortissimisque munitam praesidiis, sua virtute obsidere coepit, obsessamque fe-

liciter superavit, superatam vero Florentinorum ditioni et imperio parere coegit. Deinde cum post aliquot annos eadem civitas defecisset, non aliunde deligendum ducem Florentini putaverunt, quam ex ea familia, cujus auspicia prospere sibi cessura credebat ob expertam superioris ducis virtutem atque felicitatem. Itaque Joannes Almani filius, imitator paternae gloriae, dux praeficitur. Hic tanta fortitudine, sapientia et animi robore illius urbis vires confregit ac perdomuit, ut pristino imperio reddita usque ad hodiernam diem Florentinorum legibus obtemperet: et sicut superata Carthago, deinde eversa, duobus Scipionibus aeternum gloriae cognomen peperit; ita Aretina civitas semel capta, atque iterum domita, clarissimis Obizzis patri atque filio ingentem victoriae triumphum consociavit. Praeterea sequitur Ludovicus licet felicitate inferior, animi tamen magnitudine par, qui tertius Florentinorum imperator, conserto apud Zagonariam Remandicolae oppidum cum hostibus praelio, maluit fortissime pugnando occumbere, quam vitam ignominiosa fuga tueri. Noverat enim magnanimos suae familiae duces, alterum semper devovisse et constituisse certaminis exitum, ut aut sibi vincendum foret, aut fortiter moriendum.

Sed dum ista commemoro, ante oculos obversatur memoria illustris viri Thomae Obizzi patris generosi nostri militis Antonii, jubetque immortalis sui triumphi clarissimo testimonio, ut rei militaris gloriam et fortia facta suorum absolvam. Joannes Aucuth, acerrimi vir in-

genii, succinctus armis et exercitibus, novum bellum, sicut in laudibus Caesaris, aut Salustii, semper exoptabat, ubi virtus enitescere posset. Denique cum per totam Italiam volitaret crebris elatus victoriis, quinquies etenim et vigesies instructa acie pugnasse et vicisse fertur, ne quid superbo viro intentatum remaneret, Romanae Ecclesiae sacrilegum bellum inferre statuit. Ea tempestate summa rei gerendae ductandique exercitus magnifico Thomae ab Urbano quinto pontifice sive ab Aegidio legato apostolico commissa fuit; qui, ubi pugnae facultas data est, nulla inimicorum potentia, nulla insolentissima ducis felicitate territus, patenti campo Aretino ducit copias, acies instruit, hostem aggreditur. Inito vero certamine cum aequis viribus atque animis incerta fortuna foret; dux ipse Thomas confertissimis hostium vineis primus occurrit, suorumque animos tam pugnando, quam exhortando firmat, advertit singulorum ictus, laudat probitatem, simul admonet memores esse debere pro qua justa Ecclesiae causa arma sumpsissent; proinde ubi justiores forent belli partes, non defuturam esse victoriam. Talibus stimulis et egregia praestantissimi Thomae virtute accensi milites, fortiores hostibus incumbere; illi vero loco cedere et terga vertere. Quid plura? Fusus exercitus, fugati hostes, et felicissimus Aucuth tot victor exercituum cum ingenti praeda capitur. O praeclara victoria! O speciosissimi triumphi gloria! O immortalis Thomae Obizzi laus! Praedicent Romanae urbis annales Quintum Fabium maximum, unum

cunctando qui primus restituit rempublicam Romanam. Efferant Marcellum, qui primus Hannibalem Romani sanguinis fluvios effundentem ante Nolana moenia fugere coegit. Hos ego nec Thomae nostro praetulerim: licet enim alter consilio et gravi cunctatione Hannibalis furores eluserit, alter armis in fugam verterit; adhuc tamen crudelissimi hostis saeva barbaries integra perseveravit, majorique postea clade res Romanas affecit, et paene illud extinxit imperium. At Thomas noster Joannem Aucuth alterum in Italos Hannibalem, ut quidam volunt, sic superavit ut caperet, sic vicit ut bellum finiret, sic triumphavit ut pacem rebus Ecclesiae redderet. Accedit ad hoc, quod illi pro Romana urbe imperioque perituro, hic autem pro caelesti patria immortalique Christianorum republica dimicavit, cujus aeternus imperator est Christus militumque suorum gloria.

Praetermitto hoc loco dicere quanta vir iste fuerit sapientia, quem accersitum illustris senior regina Joanna ad opulentissimi regni Apuliae gubernacula tenere voluit; quanta fide et integritate, cujus tutelae inclytus Estensis marchio Nicolaus Ferrariae princeps cum impuberis adhuc esset aetatis, paterno testamento commendatus est. Non dicam de Ruberto Thomae filio, nostrique Antonii optimo genitore, cujus eximiam surgentis virtutis indolem, et ad paternos titulos aspirantem, ex ipso juventutis flore mors importuna succidit. Magis enim redire libet ad maxima in sacram Romanam Ecclesiam hujus familiae merita. Age igitur quale fuit et

quam singulare beneficium reverendissimi patris Jacobi Obizzi Adriensis episcopi. Erat enim, ut plerisque notum est, superiori tempore in Ecclesia gravissimum schisma, et de summo apostolatus apice orta contentio; et inconsutilis tunica Domini Salvatoris, quam crucifixores ejus potius sortiri, quam dividere voluerunt, et variis improborum studiis et certaminibus scindebatur. Alterum hujus seditionis caput fuerat Petrus Luna, quem ejus fautores Benedictum decimumtertium prophetam appellabant. Huic rex Aragonum superior propter quamdam sanguinis necessitudinem adhaerebat regiisque viribus tutabatur. Patres Ecclesiae ob tam immane periculum in Concilio Constantiae congregati, Jacobum episcopum ad regem mittunt; qui mira prudentia, consilio et eloquentia adeo prospere et feliciter ea legatione functus est, ut regis animum averterit ab impiissimo haeresiarcha, et sanctae Synodo sociarit. Quare effectum est, ut inveteratum et pestiferum malum, quo pax Christianorum turbabatur, de mediis Ecclesiae visceribus evelleretur. Haec sunt, patres praestantissimi, clarissimorum Obizzorum ornamenta; haec alta magnorum virorum praeconia, quibus sidereis splendoribus Antonius noster sponsae genitor, tot consulum et imperatorum princeps, illustratur, qui cum militari dignitate tantum, sapientia, integritate, prudentia, consilio et gravitate praestet, tantum humanitate, clementia, liberalitate, modestia, ceterisque honestissimae vitae moribus, virtutum suarum radiis cum illa majorum luce certare et

contendere videtur, rerumque bellicarum gloria insigne quoddam pacis et togae decus adjicit.

Verum me video Obizzanae gentis maximis laudibus finem facere oportere. Illa quidem sic jubere videtur, ut intermissa eorum commendatione ad conjunctissimam sibi Thienensium germanamque familiam orationem convertam. In qua re eam mihi praestate veniam, quaeso, ut praeclaras hujus familiae laudes et praestantissimas ejus dotes perstringere liceat; nec ideo quisque putare debet mihi dicenti defuturam esse materiam, sed magis cogitare, quod si temporum arctamur angustiis, praeterea me in iis publicandis tali modestia uti maluisse, ne quis hanc mihi objicere possit invidiae calumniam, quod eorum laudes diligentiori cura exquisitoque magis sermone, quam fas erat, narrare voluerim. Haec Thienensium generosa et antiqua proles inter ceteras urbis nostrae Vicentinae familias, in prisca nobilitate, cum opibus, tum potentia facile prima est. Ex hac, veluti e quibusdam clarissimis incunabulis, multa excellentissimorum virorum ingenia prodiere: quorum alii litterarum jurisque civilis studiis dediti, praestantes jurisconsulti evasere; alii bellicis artibus occupati, clypeo armisque sudantes, equestris ordinis dignitatem adepti sunt. Tales fere omnes hujus familiae viros tam ex veterum memoria, quam ex nostrae aetatis exemplis palam ostendere possimus. Antiquior enim Simeon ille Thienensis jurisconsultus tanta sapientia, aequitate, plurimarum rerum experien-

tia claruisse fertur, ut secretiori Scallonarum principum consilio, quibus Canis cognomen erat, adscriberetur. Deinde ob ejus auctoritatem praefectus praetorii constitutus sublime tribunal habuit, et in ceteros magistratus principali potestate animadvertebat. Ex hoc duo virtutis lumina exorta, Ugutio et Joannes, quorum alter Ugutio excellens jure apostolico Bononiae sacras leges publice interpretatus est. Cum autem summus pontifex Gregorius decimussecundus hominis ingenium et acumen animi miraretur, minime pati voluit cruditissimum virum abesse ab apostolico latere. Interea Augusto Caesare Austriaeque ducibus odiis atque armis inimice dissidentibus, summus pontifex Ugutionem auctorem concordiae gerendaeque pacis legatum creat; qui Caesari ipsisque ducibus gratissimus tantum apud eos auctoritate virtutisque suae praestantia valuisse fertur, ut effera animorum rabies, illius viri eloquentissima persuasione mitesceret. Itaque deposita simultate extinctoque inimicitiae et odiorum fomite, pulchra pace fidelique concordia sedati sunt. Summus vero pontifex ob tam singulare et praeclarum meritum, redeunti Ugutioni obviam misit ornatissima Cardinalatus insignia. Alteri vero Joanni clarissimo jurisconsulto, et probatissimo ordinis equestris militi, neminem sua aetate parem fuisse sapientia in omni virtutum genere tres potentissimi reges orbis adtestantur: Ludovicus rex Hungariae secretissimis consiliis semper adesse voluit; Carolo Hierusalem et Siciliae regi carissimus et

individuus quasi comes adhaerebat; sub Ladislao ejusdem regis successore gubernandas totius regni habenas habuit. Senior vero Mediolani dux hunc ad res imperii sui gerendas praefecit, et illius fidei et auctoritati adolescentulorum filiorum tutelam custodiamque mandavit.

Multos praeterea ex hac familia viros accepimus, qui consules, qui praefecti, qui praetorii, duces armorum, cum sui generis, tum nostrae civitatis ornamento fuere. Omitto Eduardum pulcherrimis magistratuum fascibus et praeturis insignem. Taceo Valerianum fortissimum militem, dehinc militaris rei gerendique exercitum peritissimum. Haec, inquam, prisca revolvo, cum satis mihi praestent materiam dicendi innumerae virtutes magnifici militis Jacobi Thienensis nostri Sponsi optimi genitoris, quem etsi multis maximisque rebus digna laude celebrare valeam, ob tres tamen virtutes videtur ceterorum princeps extitisse. Prima fuit singularis clementia et animi mansuetudo, qua ita facilis erat ad veniam, ut frequenter potius parcere, quam ultionem injuriis lacessitus semper elegerit; animumque flagitiis liberum, et manus ab omni suspicione servavit innoxias. Altera est immensa liberalitas, quae quanta fuerit nemo est qui non magis experientia sua, quam ex aliena adtestatione didicerit. Patebant omnibus hospitales januae, singuli quique advenae humaniter et benigne suscipiebantur, et illa larga munificentissimaque domus, veluti quoddam liberalitatis sacel-

lum, ne horae quidem momento carebat hospitalitatis officio. Haec et ejusmodi eximiae virtutis monumenta non tam marmoreis sculpta sunt litteris, quam cordibus hominum impressa.

Quid de tertia virtute dicam praestantissima? de ejus fide, ardentissimaque in patriam atque in omnes cives caritate? Declarant illius fidei merita in rempublicam Venetorum, ex senatus consulto decreta stipendia. Nos autem patriae nostrae salutem, tranquillitatem, pacem et pulcherrimam hanc libertatem hujus militis laboribus atque periculis partam fatemur. Denique ex praeclaro milite nobilis liberorum proles exorta, quos quum videamus tam juris civilis scientia, quam auratae militiae splendore fulgentes, satis abunde persuasum fore arbitror familiam hanc Thienensium cum viris claruisse doctissimis, tum fortissimis cinctam fuisse militibus. Est igitur ortus familia atque parente generoso Sponsus noster, cui praeter juris sapientiam, adest singularis prudentia, quaedam ad res arduas capessendas animi magnitudo, mira claritas, in iis conficiendis plurima diligentia, grave consilium, solers cura. Quanta vero sit in eo fides, integritas et ab omni suspicione liber animus, nulla majore ratione vobis probare possum, quam ex auctoritate illustrissimi dominii nostri, quod saepe proximi belli tempore Joannis nostri legatione ad illustrem comitem Franciscum usus est. Cui gerendae res maximae demandatae, a quo etiam, si quando opus erat, praesidia comparata.